



Ioannes apud Belgas natus anno circiter 1527. Is cum felici ingenio esset insignis, post prima litterarum fundamenta in patria iacta sese hinc inde ad varias academias contulit, atque Philosophiæ & Theologiæ diligentem operam nauauit, ita ut omnium acclamatione Theologiæ Licentiatus constitueretur. Cum hoc modo sese disputando & docendo plurimum exercuisset, atque Coloniensem & Treuerensem urbes sua eruditione exornasset, tandem ab electore Treuerico inter cōsiliarios susceptus, & in magno pretio habitus fuit. Eo tempore anno 1552 Tridentina synodus celebrata. Itaque Ioannes cum suo principe eò profectus, facile ob

ingenij uim omnibus eius loci proceribus innotuit, atque gratissimus extitit. Id cum Erasmus præsul Argentinensis cognouisset, à Treuerico impetrauit, ut Ioannes ille ad suam curiam transierit, atque Argentinensis concionator in cathedrali templo cōstitutus fuerit. In eo loco Ioannes post Concilium dissolutum magno feruore pro suggestu docuit, atque etiam certis horis sacras literas priuatim exposuit.